PETRUS COMESTOR. PS.-DIONYSIUS AREOPAGITA

Kaufbeuren, 1457 Seite 33r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

datis in supra. Abacuc in ima.

De reditu eorum ad patrem

At illi profecti sunt venerunt que ad patrem suum in terra chanaan dixerunt que ei omnia que acciderant eis. Cumque frumenta effunderent, singuli in ore saccorum invenerunt ligatas pecunias. territis que omnibus dixit pater. absque liberis me fecistis. Ioseph non est super. Symeon tenetur in vinculis. Beniamin auffertur. in me hec mala reciderunt. Et ait ruben. Trade michi eum. duos filios meos interfice nisi restituam tibi. Ait ille. non descendet filius meus vobiscum. Interim consumptis cibis fames eos premebat. Et dixit iacob ad filios. Revertimini in egiptum. ut ematis parillum escarum. et ait iudas. si vis mittere nobiscum puerum ibimus. alioquin non ibimus. Ego suscipio puerum. de manu mea require illum. nisi eum reduxero ero reus peccati in te omni tempore. Et ait israel. si sic necesse est. quod vultis facite. Sumite de optimis terre nostre fructibus vobiscum. modicum resine et mellis et storacis. et stactes. et terebinti. et amigdalarum et afferte viro munera. pecuniam quoque quam retulistis reportate. et aliam ad emendos cibos. deus autem faciat vobis virum placabilem et remittat vobiscum fratres. Resina dicitur quodlibet gummi liquidum vel arduum. a reu greco. quod est emanare. Inde reuma fluxus capitis. Prima preciosior est terebintina. quam forte exponendo subdit. et terebinti. Secunda est lentiscina. que venit de chio insula. Tercia est pinea. forte balsamum sic vocavit. Iosephus enim in principio munerum unguenta balsami posuit et resinam tacuit. Storacem quidam dicunt speciem resine. Ieronimus dicit in hebreo esse nechota. quidam transtulerunt domus thimiamatis. quidam domus storacis.

[margin: quod sonat generaliter thimiamata. Et in ysaia pro domo nechota]

De ingressu egipti cum beniamin

Igitur filii iacob cum beniamin descenderunt in egiptum. et steterunt coram ioseph. Qui precepit dispensatori suo ut introduceret eos. et pararet convivium. quia secum comesturi erant. Illi timentes se pro pecunia introductos quam secum retulerant. dicebant dispensatori se eandem retulisse. et eis nescientibus in saccis fuisse repositam. Qui ait pax vobis. deus vester dedit eam vobis. pecuniam quam michi dedistis ego habeo. eduxit que ad eos symeonem. Munera quoque parabant donec ad eos ingrederetur ioseph meridie. Cui ingresso obtulerunt munera. et adoraverunt in terram. Et accepto quod salvus esset pater. benedicto que beniamin. commota sunt viscera eius. et ingressus cubiculum flevit. lota que facie egressus continuit se. et ait. Ponite panes. Sedit autem ioseph seorsum ut alienigena. et egipcii seorsum ut indigine. et fratres seorsum ut advene. Prophanum enim putant egipcii edere cum hebreis. forte pro dispari cultu. disposuit que ioseph fratres secundum ordinem etatis eorum sicut in domo patris sedere consueverant. datis que partibus mirabantur quod pars beniamin quinque partibus excederet. Iosephus tamen dicit. beniamin duplicibus partibus honorabat. utrumque autem stare potest. si quinque fuerunt ciborum appositiones. de qualibet duplum dedit beniamin. biberunt que et inebriati sunt cum eo. id est saciati secundum ydioma hebreorum. Precepit que ioseph dispensatori suo ut impleret